

✓



ULB Halle 3
005 090 89X


08 B 200, Kapsel (78)





Jesu Benedicente Redemptore!

Disputatio Physica

DE

**MORTE PLAN-
TARUM,**

Quam

in Illustri ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTIANI SAMUELIS Siegra/

VVittenbergensis,

placidæ Philosophorum collationi

exponit

A. & R.

JOHANNES BENJAMIN Reising/

Grimâ-Misnicus, Phil. Cand.

D. IX. Octobr. Hor. Antemerid.

In Auditoriô Minori

ANNO O. R. clb Ibc LXXX.



WITTENBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

PATRIBUS PATRIÆ,
VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, PRUDENTISSIMIS USUq; RERUM CONSPICUIS,
DOMINIS
CONSULIBUS,
SYNDICO,
PRÆTORIBUS,
cæterisq;
SENATORIBUS,
PATRONIS atq; PROMOTORIBUS suis submissè
colendis, humillimæ devotionis gratia,
ac ob innumera in se collata beneficia


Qualescunq; has Academ. primitias

Dat, dicat, consecrat

A.&Reising.



08 B 200, Kapsel (78)



L. N. J.

Præfatio.



Nter egregias illas corporum naturalium species, quæ Deus Opt. Max. universum hoc instruxit, & decoravit mirificè, ornamentò haud levi *Plantas* esse credimus, quæ non tam oculos pascunt, odoresq; reddunt suavissimos, quàm sanitati hominum maximè inserviunt. Equidem quâ ratione his restituenda sanitas sit, sollicitus quidem Physicus non est; naturam tamen & affectiones *Plantarum* contemplatur, undeq; illam suis partibus perfectissimâ habeant pulchritudinem, quæ maximè nos afficit, sedulo indagat. Hoc enim peragendò nihil agit aliud, quàm ut inter abditissimos rerum se abscondat sinus, ibiq; ceu Adamum quondam in felicissimo illo & pleno divinæ amœnitatis nemore, quod Paradisum nominamus, solitum fuisse legimus, mirifica cognoscat. Etenim *nuspiã ferme major Naturæ lusus*, inquit B. Sperlingius, a) quàm in hac vili & exili materia, quæ jam floret, mox tabescit. Infernè in terram radices sparguntur, tantâq; subtilitate insiguntur, ut vi etiam validâ vix evelli ac dimoveri queant. Sursum verò caudex, rami & surculi mittuntur, & externè cortice velut indumentò, internè medullâ, venis, fibris

a) Lib. 7. Instit. cap. 5. p. 1148.

fibris, nervis ac carne donantur. In suprema verò rami-
rum & surculorum parte, folia, flores, & fructus fingun-
tur ac pinguntur. In his verò non sine stupore eadem cer-
nitur figura, eadem levitas & asperitas, eadem longitudo,
latitudo, & profunditas, idem color, idem sapor, idem odor,
eademq; omnium ornamentorum ratio & conditio. Quæ
omnia observavimus hactenus, non sine insigni oble-
ctamento animi; vidimus arbores foecundas, gramina
virentia, plantas surgentes, flores nitentes, diversissimi
coloris, odoris, atq; speciei, ut nihil magis optandum
foret, quàm ut felicitas hæc nobis sit perpetua! Sed quæ
fors hujus universi atq; conditio est, ut in partibus quo-
tidie intereat, & olim, cum Deus voluerit, destruendum
totum sit; ita & *Planta* mortalitati haud minus
obnoxia sunt, & sine circumscripta. Nihil hic juvat
absolutissima illa pulchritudo, nec mortem clarissimus
ille fulgor, cujus intuitu vix rectos & irretortos habe-
mus oculos, moratur: omnes mors rapit, & ut jam hoc
autumnali tempore in quibusdam experimur, vitam pri-
vat penitus. Quæ revolventes animò digna *Mors Planta-*
rum nobis visa est, quæ peculiari Dissertatione à nobis
expediretur. Cui operæ ut faveat Numen Sanctissimum,
supplici illud poplite deveneramur supplices!

§. I.

6] *Exercit.*
352. p. m. 1087
& *Comment.*
in lib. 2. *Theo-*
phr. de Caus.
Plant. cap. 15.
134.

Cum variaz *Mortis* vocabuli extent derivationes, prolixi
nunc in iis adducendis non erimus, sed unicè ex his
Scaligeri, quam accuratissimam censemus, nostram fa-
cimus, quæ b) *Mortem* ἀπὸ τῆς φύσεως, quod partem Græcis
notat, & postmodum pro portione s. sorte fatali, exitio & morte
usurpari solet, deducit. Potius autè varias, quibus vox *Mortis* expo-
sita

sua est, ambiguitates evolvimus, & acceptiones à nostro instituto alienas removemus. Nam præter *Theologicas* significaciones, quas *Dnm. Theologis* explicandas relinquimus, in foro *Ethico & Politico* mortui dicuntur illi, qui gradu aliquo dignitatis, privilegiis omnibus dominii, libertatis atq; honoris privati, vel solum sine actu & officio nomen gerunt. Deinde in sensu *Physico Mors* dicitur vel *Generaliter*, pro rerum in animatarum æqvè, ac animatarum corruptione; vel *Specialiter*, pro inclinatione ad mortem brevi secuturam; vel *Specialissime*, pro ipsa animæ corporisq; solutione: ex quibus omnibus *ultima* tantum acceptio à nobis hinc attenditur. Et cum hujusmodi *Mors & Hominibus, & Brutis, & Plantis* contingat, de *harum* interitu solum solliciti nunc erimus: ita tamen, ut non tantum *Herbæ*; sed omnes quoq; *Arbores Plantarum* nomine nobis veniant.

§. II.

Describimus autem *Mortem Plantarum*, quod sit *privatio vite in Plantis viventibus à solutione animæ & corporis facta*. In qua Definitione *Genus* non *Ens* aliquod positivum, vermiculum scilicet quendam, constituimus, quale verminosum & cadaverosum dogma est *Athanasii Kircheri*, c) *Petri à Castro*, d) aliorumq; qui *Mortem* esse credunt *vermiculum venenosum*, ex corruptione humorum aliàve in corruptionem degeneratâ substantiâ oriundum, minutissimum ac non nisi *microscopii* beneficio visibilem, viventium corpora exedentem; sed potius *privationem Mortis Plantarum* verum *Genus* esse dicimus. Non quidem *impropiam* illam, quæ negat, non privat; sed *propriam*, quæ bonum naturale destruit, & subjectum tali privat habitu, qui ad perfectionem ejus pertinebat: nec tamen *partialem*, quæ actum tantum secundum; sed *totalem*, quæ non solum actum secundum; verum etiam quæ actum primum tollit. *Habitus* autem ille, quem *Mors* aufert, *vita* est, quæ ad naturam viventis ejusq; perfectionem vel maxime requiritur.

§. III.

Differentia verò cum à *Subiecto*, tum à *Causa Deficiente* est petita. *Subiectum Planta* est, non quælibet; sed *vivens* tantum. *Equi-*

A 3

dem

c) *specul. quad. Epist. An. 1657 edit.*
d) *tract. de Puncticular. febr.*

e) Lib. 5. de
Placit. Philos.
cap. 26.

f) Lib. 2. Offic.

dem an Plantæ vivant, variè inter se hæctenus disceptârunt Philosophi, quorû alii Plantis omnem prorsû vitâ denegârunt, alii, utut Plantas vivere statuerint; rem tamen omnem perversè admodum proposuerunt. Qui animam, vitamq; Plantis derogârunt omnem, Stoici fuerunt atq; Epicurei apud Plutarchum, e) eò quòd animata alia appetant, concupiscentiâq; invitentur, alia etiam ratione utantur: Plantæ a. (quæ fuit eorum opinio) cum natæ sint fortuitò, nec ductu animæ regantur, nullâ quoq; ratione Plantas animatas esse docuerunt. Cui sententiæ ipse quoq; Tullius suum addere videtur calculum, quando f) duo rerum genera constituit, inanimatorum aliud, aliud animalium; ac in priori genere aurum, argentum, & quæ gignuntur è terra, aliaq; habet. Ast hi Autores aut confundunt inter se appetitum naturalem, sensualem atq; rationalem; aut si de sensuali appetitu, vel etiam rationali, sermo illis est, falsò præsupponunt, cuncta animata l. appetitu l. ratione prædita esse, dum appetitus sensitivus solius animæ sensitivæ; ratio autè solius animæ rationalis sint: Vegetativa autem anima licet nec appetitûs sensitivi, nec etiam rationis particeps; nihilò tamen minùs animæ nomine venit rectissimè. Undè & doctrina illa nullò ferè solidò nititur fundamentò; sed eandem vel ex vocum Etymologia, à qua tamen infirmissima peti solent argumenta, vel ex Scripturæ dictis, malè explicatis probare satagunt ejus sententiæ Patroni; quibus verò nobis nil faciunt negotii, quin potius Plantas vitæ capaces esse, ex harum operationibus vitæ, nutritione, auctione & sibi similis productione, firmiter colligimus.

§. IV

Agnoverunt hoc ex veteribus Philosophis Plato, Democritus, Empedocles, Anaxagoras, aliiq; ; qui tamen nimium progressi sunt, dum non animatas solùm; sed vera quoque animalia Plantas esse crediderunt. Nam de Platone atq; Empedocle Plutarchus (g) refert, stirpes ab iis in animalium numero censeri, eò argumentò, quòd & nutent, & ramos habeant directos, qui inflexi si remittantur, suum repetant locum atq; rectitudinem. Id quòd confirmat Aristoteles, qui (h) memorat, Plantas fuisse

g) loc. cit.
h) Lib. 1. de
Plant. c. 1. p.
m. 1042. sequ.

fuisse animalia *Platoni* , quòd solò appetitu Plantæ ducantur ; *Anaxagoræ* atq; *Empedocli* , quòd desiderio ducantur , quòd sentiant , ac tristitiâ voluptateq; afficiantur ; tandemq; , quòd mens atq; cognitio eis insit ; quæ ratio posterior , juxta eundem Auctorem , & *Democriti* fuit. Cui sententiæ non dissimilis *Manichæorum* quondam opinio videtur , qui Plantis animam rationalem ita adsignârunt , ut florem aut fructum decerpere , illis fuerit homicidium.

§. V.

Rationes autem , ob quas crediderunt , Plantas animalia esse , utut veritatis quandam speciem præ se ferant ; exigui tamen sunt momenti , & facili refutari queunt negotiò. Nam *primum* falsa est , quam hîc præsupponunt , de Anima totius mundi , sententia , quâ illam vegetare dicunt cuncta corpora naturalia , & in his ratione operari. Certum quippe est , sola corpora naturalia animâ gaudere ; mundus autem , cum tale corpus non sit , nec animâ habebit. Vel si præditus esset animâ , aut vegetativa foret , aut sensitiva , aut rationalis : & sic omnia corpora , quæ in mundo sunt , vel viverent , vel sentirent , vel intelligerent ; quod tamen *ἀπορον* nec ipsi concedunt Adversarii. Et hujusmodi talò *alterum* quoq; subsistit *argumentum* , quò , Plantas animalia esse , ex appetitu , & , qui hunc insequuntur , *affectibus* , quos Plantis competere dicunt , probare conantur. Experientia namq; docet quotidiana , Plantas ea sæpissimè appetere , quæ sibi grata ; & detrectare , quæ ingrata veniunt : ob odium nimirû vel amorem , quò se Plantarum nonnullæ prosequuntur invicem. Brassicam enim , Laurum & Hederam vitis incremento ita officere , ut harum in confinio consita vitis vel langvescat , vel emoriatur , abundè constat. Nec alliâ ratione alia rosis vicina has odoratiores præstant : & Myrtus juxta punicam malum consita eam reddit fructuosior , ipsaq; fit odoratior. Squillam m. omnibus Plantis amicam esse ita , ut hæ omnes prope illam feliciter vegetentur , *Alestedius* [i] contendit ; sicut & rutam juxta ficum felicissimè fecundari *Kircherus* (k) atq; *Peucerus* (l) attestantur. Quò m. illud referri potest , quòd Plantæ nutriantur , & , ob nimium calorem

i] *Encyclop.*
Part. 5. *Phys.*
c. 2. p. m. 732.
k] *in Art.*
Magnet. Lib.
3. part. 6. c. 1.
p. 520.
l] *de Divinat.*
rem p. 370.

rem tristes; aqua verò, quam ante appetebant, resecta, hilares atq; alacriores appareant. Ex his enim, aliisque pluribus constare arbitrantur, animalia Plantas esse, eò quòd appetitus sit facultas animæ sensitivæ. Sed levis ad hæc omnia est responsio, modò observetur, appetitum alium naturalem esse, alium sensitivum s. animale, alium deniq; rationale. Naturalis appetitus est, qui fit instinctu nature, sine sensu & cognitione objecti. Animalis s. sensitivus est, qui omni animali convenit, & sensitivam apprehensionem insequitur. Rationalis verò appetitus est, quòd, præviâ intellectus notitiâ, homo bonum sibi conveniens appetit; estq; ipsa hominis voluntas. Quodsi igitur Plantæ mutuò in se agunt, non à sensitivo appetitu, aut rationali; sed à naturali illas, quibus agunt, vires habent, quarum pleraq; cum exponi à nobis nequeant, occultæ qualitates Physicis dicuntur. Neq; m. ex alio, quam ex principio naturali, alimenta ad se Plantæ trahunt, & rebus sibi convenientibus nutriuntur, quoniam natura, quæ conservationi suæ maximè studet, illud, quod quotidiè de partibus viventis effluit, ex alimento extrinsecus assumto, & in substantiam corporis converso, restaurare nititur. Eò enim fit, ut post resectas vires viridiores, & quasi lætiores Plantæ nobis videantur, quàm antè, ubi humidò radicali, quò sustentari debent, maximè indigebant. *Motum v.* quod tandè concernit, quem nobis hinc objiciunt, fatemur, Plantas esse animalia, quodammodò posse evinci, si naturalis ille foret; cum autem violento sit, & à causa externa proficiscatur, manet adhuc, *Subiectum Mortis Plantarum esse Plantam ipsam viventem*, licet Plantæ animalia non existant.

§. VI.

Huic *v. Subiecto* Mors contingit, cum anima à corpore separatur, quæ solutio *Deficiens* illa *Causa* est, à qua secundò locò *Differentia* est petita. Cum enim quodlibet vivens duabus essentialibus constet partibus, animâ scil. & corpore organico, & illa huic vitam communicet, atq; operationes vitales, cessare has oportet in solutione animæ & corporis, atq; mortem insequi necessum est. Hæc autem separatio in Plantis fit ob calidum innatum, quod, uti in Plantarum vita vinculum animæ atq; corporis est

ar. Cui-

arctissimum, ita solutō eōdem anima abit, & corpus relinqui-
tur. Quoniam v. duplici cum primis modō deficere calidum in-
natum potest; ideō nos quoq; duas hujus defectūs constituimus
causas, quarum unam, *Internam* alteram *Externam* nomina-
mus. Vel enim calidum innatum agit in humidum radicale, il-
lud depascendō; absumtō verō humidō calidum cum eo exspi-
rat; quæ *Causa* nobis tunc *Interna* dicitur: vel Spiritus influens,
per quem tamen calidum instaurari debebat, exstinguitur, &
cum hoc, quoniam sustentari ulterius non potest, ipsum quoq;
calidum innatum; & tunc *Causa* hæc *Externa* nuncupari solet.
Prioris generis *Causa* frequens adeō non est, cum sæpissime
causæ externæ prius, quàm calidum innatum humidum illud ra-
dicale absumserit, mortem Plantis inferant: nihilominus tamen
eam in quibusdam observamus, quæ vitam suam longissimè du-
cunt. Fit hoc, ut diximus, ob interitum calidi innati, quod, ab-
sumtō humidō radicali, sine quo sustentari non potest, deficit.
Licet enim humidum radicale subinde reficiatur alimentō; il-
lud tamen, quō reficitur, alimentum deterius est humidō, quod
decessit; cum hoc elaboratum fuerit exactissimè, excoctum atq;
attenuatum. Cujus rei ratio alia non est, quàm quæ est in vino,
ubi hoc affusâ aquâ debilius, tandemq; ipsa fit aqua; ita videli-
cet & humidum radicale sensim diminuitur, & seipsō redditur
deterius, donec tandem illius nihil sit residui.

§. VII.

Sæpius itaq; , ut dictum, ob *externas causas*, easq; varias,
animæ in Plantis à corporibus separantur, quam separationem
necessariō tunc *mors* insequitur. Nam *Primò* Influens ille Spiri-
tus deficit in genere *vel nimio calore*, cum vehementiori Solis
æstu tellus arefcit, & omnem humorem æstus incumbens ex-
trahit: *vel intensissimo frigore*, quod suâ violentiâ & Calidum &
Humidum tunc opprimit. *Deindè* v. specialiores adhuc constitui
possunt causæ, cujusmodi sunt *Rubigo*, *Roratio*, *Vermiculatio*,
Defluuium, *Vulneratio*, & si quæ aliæ *Causæ Externæ* sunt, quæ
Mortem Plantis inferre possunt. *Rubigo* est putrefactio humoris,
quibusdam plantis incidentis, quō vitiō plantæ illæ marcidæ fi-
unt,

B

unt,

m] Comment.
in Lib. 3.
Theophr. de
Caus. Plant.
c. 30. p. 214.

unt, & in pulverem foetidum confricantiles; diciturq; Germanis:
der Meelthau. *Roratio* contingit, cum, roridò humore nondum
discussò, superveniens Sol legumina vel pampinos & racemos,
quibus incubuit roridus ille humor, comburit: in *leguminibus*
cum deprehenditur, speciali nomine *Uredo* appellatur, & apud
Germanos audit: *der ôthe*, *der brenner*, *der brand*, oder *der Kost*
am Korn; *Carbunculatio* verò, cum *Vitis* hoc malum experi-
tur, & Germani dicere tunc solent: *der Weinberg fânget an zu*
gelben. *Vermiculatio* nihil est aliud, quàm à vermibus investatio;
estq; imprimis *Ficibus*, *Malis*, *Pyris*, aliisque arboribus, quæ
suaves ferunt fructus, familiaris. Amaras enim, aut acres
arbores, *Oleam* si excipias, nunquam hoc morbo laborare,
ferunt. Quatuor autem imprimis animalium genera, arbores
prædictas quæ infestant, dari, *Scaliger* (m) contendit. Nam pri-
mum genus nomine communi *Vermem* dicit, & in quibusdam
leguminibus, & *frugum radicibus* reperiri: secundum in *cicere*,
quod *erucas* nominat: tertium deprehendi in *vitibus* & *convol-*
vulum vocari: quartum deniq; in *Oleis* inveniri, cujus denomi-
nationis ne vestigia quidem usquã inveniri, citatus Autor scribit.
Defluvium fit, cum Arbores, verriò præsertim tempore, corti-
cibus suis spoliantur, ob acrem quendam humorem affusum,
qui gluten dissolvit, quò cortex ligno agglutinabatur. Hinc fieri
solet, quòd Arbores, cortice detractò, intereant, nisi in lon-
gum decorticatione fiat, quia tunc non illa officit, nisi insignis
fuerit. Tandem & *Vulnus*, si alitè imprimatur, omnes Arbores
interimit, *Abietem*, *Pinum*, atq; *Terebinthum* si demas fortè,
quæ delectantur eò, ejusq; operâ ex sterilibus foecundæ sæpius
evadunt. Ubi autem sedulò tenendum, *vulneris* nomine non *se-*
ftionem, *fissionem*, *decorticationem*, *terebrationem*, atq; *deca-*
cuminationem tantummodò intelligi; verùm etiam *contusionem*,
semi-ruptionem, *convulsionem* &c. quoniam enumeratis hisce
modis omnibus Plantæ interire possunt.

§. VIII.

Et in hoc diverso modo extinguendi calidum innatum
fundata quoq; communis illa *Mortis Plantarum Divisio* est, quã
dis-

dispersere hanc in *Naturalem* atq; *Violentam* solent. *Physica causa Mortis*, inquit *B. Sperlingius* [n] *alia Interna, alia Externa est. Interna defectus calidi innati. Externa defectus calidi influentis. Hinc usitata Mortis Divisio, quæ vel Naturalis vel Violenta dicitur. Licet autem* n) *Exercit. Phys. l. 7. Exerc. 2. Prop. 8. p. 622.*

in se & in sua natura spectata Mors non nisi unica sit, perinde ut unica tantum ejusdem vita est; ratione tamen *Causarum*, quarum *alia Interna, alia Externa*, ita distinguitur, & ratione *hujus* Mors dicitur *Violenta*, sed ratione *Causæ Internæ, Naturalis*. Describunt enim *Mortem Plantæ Naturalem*, quod à *naturali humidi resolutione oriatur: Violentam* verò, quod à *præternaturali & externa quâdam violentia ortum suum trahat. Naturali Morte rarius* quidem intereunt Plantæ, ob varias illas causas externas, quas Plantis mortem prius, quam calidum innatum radicale humidum absumserit, §. 6. inferre diximus; in quibusdam tamen vetulis arboribus id fieri videmus, quæ, licet nihil deesse videatur, unde commode sustentari queant, interius tamen absumptio humidio radicali, & cum hoc ipso calido innato, interire necessum habent. Morte autem Violentâ Plantæ reliquæ funguntur, quam Externæ illæ Causæ, in §. præced. adductæ, & quæ his similis sunt, inferunt. Modus itaq; quò contingit Mors, tantum variat, & hanc in *Naturalem & Violentam Mortis Divisionem* gignit; in se autem unica Mors est, quæ totam rei essentiam destruit, evertit, atq; tollit ita, ut ab hac privatione ad vitam cursu naturali nullus locum habeat regressus.

§. IX.

Suspectæ proinde fidei meritò omnium illorum censemus esse opiniones, qui Plantas in cineres redactas, vel aliò mortis genere extinctas, vitæ restitui, ac resuscitari ex cinere suo posse, acriter defendunt. Imprimis verò negotium hoc in se suscipit *Athanasius Kircherus*, qui, in cinere, scribit, *falem, in sale, tanquam in centro, latere cujuscunq; rei vegetabilis virtutem seminalem. Fieri itaq; posse existimat, ut Sal* o] *Tom. 2. Mund. Subt. l. 12. Sect. 4. p. 414. seqq.*

explantis arte non omnibus notâ extractus, uti spermaticâ virtute herbæ pollet, ita quoq; inseparabili eidem connexus nodô, dum plasmatica facultas calore tenui & leni in sale vi seminali excitatur, ex innato quodam appetitu ad id formandum feratur, ad quod à natura destinatus fuit; salinis corpusculis, in quibus plastica vis latet, in illam formam, quam semen postulat, vi confluentibus; atq; adeò Plantam exhibeant sub ea forma, quam Planta, ex qua sal extractus fuit, suâ naturâ requirit. Gloriatur & præterea Autor modò citatus, se, cum diu multumq; circa hoc experimentum fuisset versatus, invenisse tandem modum, quò Plantam intra phialam oblongi colli hermeticè clausam ex suis cineribus excitaverit, atq; in Museo decennium ferè advenis cunctis spectandum exhibuerit, donec Anno 1657, quò Regina Sveciæ CHRISTINA Musei sui visitatione illum dignata, summâ animi voluptate artificium istiusmodi spectavit; post hujus v. discessum vehementiori frigore phialam ruptam finem spectaculi fecisse. Modum verò atq; rationem artificium hoc conficiendi licèt non adjecerit Autor, alii tamen apud eundem [p] legi possunt.

p] loc. cit.

q) in Observ.
Medico-Phys.
Cent. 3. obs. 71.
p. 253.

§. X.

Approbat hanc sententiam Petrus Borellus, qui q) animas Plantarum immortales, inq; salibus latentes suscitari denuò posse, ingenuè profitetur; hancq; suam assertionem variis experimentis confirmare nititur. Nam de Chymico quodam Italo refert, rorem aliquando illum collegisse, inq; magno collocasse matratio; glacie verò superveniente rorem fuisse coagulatum. Medicum autem ægrè ferentem, quòd & ros inutilis redditus sit, vasq; glacie fractum, glaciem adspexisse, & in medio ejus arborem cum foliis, fructibus, ramis, radicibusq; ad nucis figuram observasse, idq; suis amicis, ceu mirabile quoddam, narravisse. Alia exempla, quæ leguntur ibidem,

enu-

enumerare supersedeo. Et hanc sententiã plures adhuc alii fo-
vent Autores, quos cum prolixè in præsentì recensere ob char-
tæ angustia. nec libeat, nec liceat, evolui saltem possunt Ker-
gerus, r) Paracelsus, s) Schottus, t) Quercetanus, u) Harsdörffer,
x) aliq; , in quorum scriptis , pro confirmanda sua senten-
tia , experimenta varia passim deprehenduntur.

§. XI.

Sed lubrica admodum illa sunt experimenta, nec, si ad
amussim veritatis examinentur, probant id, quod probare de-
bent. Certum quidem esset, nec à nobis in dubium vocaretur,
Chymicos artis beneficiò, in cinere si laterent semina, produ-
cere ex his Plantas posse; quod innuere ipsi etiã Adversarii [vi-
dentur, quando, in cinere, dicunt, latere salè, in sale verò prin-
cipium seminale: ex eo tamen nondum sequeretur, ex cinere,
quod imprimis Adversarii volunt , easdem nume-
rò Plantas posse suscitari. Ex semine enim cum producitur
Planta, non ea, quæ periit prodit , sed planè nova quædam;
quæ verò novæ Plantæ productio non dicenda est *resuscita-
tio*, sed potius *generatio*. Quæ unica distinctio omnibus ferè
satisfacit experimentis Adversariorum , qui communiter *ge-
nerationem* atq; *resuscitationem* confundere solent. Quid
enim, quæso, aliud probat, quàm nudam *generationem*, experi-
mentum illud Borelli, cujus superius jam fecimus mentionem,
quando y) testem oculatum Stephanum Bresciaum Medicum
Chymicum Gratianopolitanum adducit, qui è Plantæ prin-
cipiis separatis Plantam vidit, à qua educta fuerat, in liqvore
quodam realiter intra breve temporis spatium productam?
Cui non dissimile experimentum illud est, quando Plantam,
instar Juniperi in phiala productam, conspexisse, hanq; dono
à D. Barlet accepisse, idem Autor z) tradit. Aut quid de *Quer-
cetani* opinione sentiendum putes, qui aa) de Medico quodam

r) *de Ferment.*
Sect. 1. cap. 6.
p. 50.

s) *in secret. na-
tural.*

t) *in mirabil.*
art.

u) *in defens.*
contra Anon-
ym. c. 23.

x) *tom. 3. re-
creat. Methe-*
mat. part. 9.
§. 26.

y) *in Obs. Me-
dico - Phys.*
Cent. 2. obs. 21.
p. 127.

z) *loc. cit. Cent*
4. obs. 62. p.
326.

aa) *Hermet.*
Med. Defens.
cap. 32.

Craco-

Cracoviensi refert, quod apparere docuerit cinerem, ex omnibus cujusvis Plantæ partibus, idq; cum omnibus tincturis atq; impressionibus omnium Plantæ partium, earumq; usq; adeo spiritus conservare omnium facultatum autores, ut plures quam triginta ejusmodi artificiosè excineribus paratas Plantas, easq; diversas habuerit vasculis suis vitreis contentas, Hermeticò sigillò obsignatas. quæ titulum Plantæ ac proprietatis ejus inscriptum haberent, & admotâ lucernâ Plantam omnibus partibus absolutam succrescentem exhiberent? certè nihil aliud, quam novæ Plantæ ex semine, quod in cinere prioris Plantæ latuit, *generatio* conspici inde potest. Maximè v. sub judice adhuc lis est, an vera sit illa Planta, quam hõc modò Chymici producant, & annon potius sit imago tantùm Plantæ, quæ combustam illam repræsentet; cum ejusdem evanescentia, remotò calore, totam rem suspectam reddat. Quoniam verò non de imagine, sed de re ipsa instituta est controversia, an scilicet Planta vera, realis atq; Physica ex suo cinere resurgere possit, omnibus illis experimentis Adversarii nihil prorsus obtinent.

§. XII.

bb) *Chym. in art. form. red. Lib. 6. cap. 3. p. 422. seqq.*
 cc) *de Ort. & Progress. Chẽ. p. 82. & 118.*
 dd) *de Facult. Medicam. Lib. 2. Sect. 4. Cap. 4. p. 182.*
 ee) *Lib. de Pharmacop. ac Disp. modern. t. 13.*
 gg) *Thesal. rediv. cap. 7.*

Rectius itaq; hac de re *Cl. Rolfinccius* sentit, qui bb) *non entia, inquit, sunt hæc arbores, flores, planta omnes. Quamvis vitæ naturæ curiosorum Chymicorum ad credulitatem festinantium, quod optant, millies & iterum millies verum desiderant, nunquam tamen expectationem suam, vel aliorum satiabunt.* Eandem quoq; sententiam *Ol. Borric'ius*, cc) *Cl. Wedelius*, dd) aliiq; fovent. Quam graviter verò hanc Plantarum resuscitationem *Helmont'ius* explodat, ex peculiari quodam ejusdem libro ee) colligere est, quando examinans *Quercetani* experimenta, hunc maximam suam, inquit, declarare incitiam, idq; variis ostendis argumentis. Præstigias vocat *Quercetani* exempla *Riolanus*, ff) & fallaciam per umbram ac imaginum refractionem procuratam. *Billichius* gg) hæc *Quercetani* experimenta flocci facit, unum de lixivio urticarum congelato stupidum vocat; alterum de cineribus Plan-

Plantarum suspectum. In primo, dicit, experimento desideratur iudicium, in altero fides. Nec verò destituuntur firmissimis rationibus citati modò Autores, ob quas resuscitationem Plantarum nullius momenti habendam esse censent. Cùm enim hæc Privationis, de qua superiùs jam diximus, ratio sit atq; conditio, ut ab ea regressus ad habitum non detur, & quod vitâ est privatum semel, virtute naturali reviviscere nunquam possit; unicuiq; intelligere facilè est, quantum sit illi tribuendum. Hujusmodi verò privationem in Plantarum Morte deprehendimus, à corpore cùm separatur anima, ubi proinde nulla redunitio speranda; sed anima, quoniam materialis, & sine proportionata subsistere materia nequit, in ipso separationis actu perit, & annihilatur, uti nec minùs corpus destruitur, & in atomos, quibus constat, resolvitur. Quibus jam accedit, quod ars Chymica, de qua tanta jactitant, merum aliquod accidens sit; accidens autem quâ ratione poterit Plantam, adeoq; & substantiam aliquam producere? certè vera atq; realis Planta esse non potest; sed hujus tantummodò imaginem representare, verisimile est. Nec est quod dicant, Chymicos Plantas resuscitare non immediatè quidem, interim tamen mediante naturâ; cùm ista productio Plantarum non resuscitationem arguat, sed generationem. Hæc enim sola medium illud est, quod Deus in prima hujus universi creatione constituit, ut res, naturâ suâ ad interitum vergentes, ab hoc vindicet, atq; omnes illarum species perpetuâ sibi similis productione conservet. Et si tandem verè ex cineribus suis resurgerent Plantæ, eâdem certè resurgerent magnitudine. Sed non eâdem resurgere magnitudine ipsi fatentur Adversarii, ut imprimis ex *Paracelsi* experimentò constat, qui hh) ex ligni combusti cineribus Plantam excitandi modum tradens, in fine tandem *videbis*, inquit, (modò scil. præscriptò si agatur) *eam* (Plantam) *reviviscere, & arborem & lignum*

hh] Lib. 6. de
Nat ver.


lignum parvum inde nasci, virtute priori nobilius. Colligimus itaq; inde, realem atq; Physicam Plantam nunquam resurgere. Ita enim Deo in prima creatione visum fuisse, credimus, ut præ reliquis viventibus præstantiorem homini concederet animam, quò regale haberet aliquid, & eminens præ cæteris viventibus. Hæc verò præstantia maximam partem in eo consistit, ut anima humana etiam post solutionem maneat superstes; reliquorum verò viventium, solutis vinculis corporeis, intereant. Agnoscimus itaq; & hanc DEI Bonitatem, ob quam non minùs quàm ob alia innumera beneficia, quæ in universum genus humanum contulit, laudes ejusdem prædicamus; cui etiam in præsententi pro concessis viribus sit

LAUS, HONOR ET GLORIA
in secula nunquam terminanda!









B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Redemptore!
Physica

PLAN-
M,

m Academia
IDIO

MUELIS Siegra/

rgensis,
rum collationi

R.
AMIN Reising/

s, Phil. Cand.
r. Antemerid.

Minori
o Isc LXXX.



R G Æ,
S WILCKII.

